

POMLAD — VER

Ver arvis patriis dulcibus en adest,
Viget vita recens post hiemis gelu,
Manat per vacuum nectareus sapor,
Auras in tepidas terrigenae evolant.

Flores innumeri gramine germinant,
In ramis volucrum dulce sonat melos,
Spes in corde etiam nascitur anxio,
De caelo nitidus sol hilare micat.

Concentus volucrum concipio libens,
Suaves adspiciens gestio flosculos,
Vernam auram cupide sorbeo limpidam.

Ut cantus resonat mi tua vox simul,
Haeret mi ante oculos effigies tua:
Sum semper, gracilis virgo, tui memor.

Ljubljana.

Vertit: S. Kopriva.

Petar Preradović:

NOĆNA PJESMICA — CANTIUNCULA NOCTURNA

Ducunt astra choros corusca mire
Caeli purpurei per editum orbem;
Gressus astra ferunt chori quiete,
Ne languens humus excitetur alma:
Lassa namque humus est amoena valde,
Defessa est pedibus meantum ubique,
Defessa est manibus laboriosis
Nec non cordibus, usque quae moventur.

Ljubljana.

Vertit: S. Kopriva.